

benedictæ. Nemo non extendet regulam hanc ad Oratorium publicum consecratum, aut saltem solemniter benedictum. Sed non ita patet ex verbis Decreti an extendi debeat ad Oratorium semipublicum solemniter benedictum; constat quidem hujusmodi Oratorii Titularis Festum esse celebrandum ritu duplici i classis cum Octava (cfr. Q. 224, 3^o), unde jure merito potest concludi ad obligationem dicendi ejusdem Titularis Suffragium; attamen si cuinam remaneret dubium, solum noverit per sequens Decretum:

« Proposito dubio: Utrum Capella principalis Seminariorum solemniter benedicta cum speciali titulo, gaudeat privilegiis, quæ competunt Sanctis vel Mysteriis titularibus cujusvis Ecclesiæ, sive Oratorii publici solemniter benedicti, nempe, ut in Oratione *A cunctis*, et in Suffragiis Sanctorum ad Laudes et ad Vesperas Titularis nominetur? Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicæ rescribendum censuit: Affirmative, juxta Decreta n. 4025, diei 5 Junii 1899, ad V, et n. 4043, diei 27 Junii 1899, ad I et ad VIII. Atque ita rescripsit. Die 14 Maji 1903. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 194; Decretum 5 Junii 1899, n. 4025, describitur ad Q. 224; alterum vero supra.)

A Capella principali Seminariorum, quæ in dubio supponitur Oratorium semipublicum, extendi posse obligationem hujus præsentis Decreti ad reliqua Oratoria semipublica aliorum Institutorum, quæ enumerantur Q. 224 (3^o), merito concludi videtur ex iis quæ ibi dicta sunt pro celebratione Festi Titularis hujusmodi Oratoriorum.

Q. 230. *A quibus, et quo loco, et quomodo dicitur Suffragium Titularis?*

R. I. **A quibus.** — Decretum 27 Junii 1899, in Quæstione præcedenti descriptum, decernit quod « quilibet, sive Secularis sive Regularis, alicujus Ecclesiæ servitio, quocumque canonico titulo, addictus,.... tenetur,.... inter Suffragia Commemorationem agere de ejusdem Ecclesiæ Titulo. » Ergo, quicumque tenentur ad celebrationem Festi Titularis cujuscumque Ecclesiæ, aut

Oratorii publici, aut Oratorii semipublici (cfr. Q. 227, II), tenentur Suffragium dicere de eodem Titulari.

Quod si cujusdam Ecclesiæ aut Oratorii sint plures Titulares æque principales (Q. 225, II), Suffragium de utroque, aut de pluribus dici debet.

NOTA. Per Decretum 27 Februarii 1847 (n. 2939, antiq. 5079, ad 5), S. Rituum Congregatio rescripsit, quod a Præsidente, Professoribus atque alumnis in majoribus Ordinibus constitutis, Seminarium inhabitantibus, non tantum Festum Titularis Ecclesiæ Seminarii celebrari debeat, sed etiam per annum, inter Suffragia ad Vesperas et ad Laudes, de eodem Titulari Commemoratio fieri debeat.

Quid si Præsides, seu Rector, seu Superior, aut Professor Seminarii vel Collegii simul sit Canonicus Capitularis seu Titularis Ecclesiæ Cathedralis? Qua Canonice tenetur ad Calendarium Ecclesiæ Cathedralis in toto anni decursu sequendum, et omisso Suffragio Ecclesiæ vel Oratorii Seminarii, dicet Suffragium Tituli Ecclesiæ Cathedralis. — Sed ideo non desinit esse Præsides, seu Rector, seu Superior Oratorii Seminarii, et qua talis tenetur saltem Festum Titularis Oratorii Seminarii celebrare ritu duplici i classis, relicto ea die Calendario Ecclesiæ Cathedralis; magis proprium enim hac die illi est Festum et Officium Tituli Oratorii cui præest quam Officium Ecclesiæ Cathedralis. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 151 et sqq.)

Quid si Alumni Seminarii in majoribus Ordinibus constituti accedant ad Ecclesiam Cathedralis ad persolvenda in Choro Officia? Ipsi tunc persolvere debent Officium juxta Calendarium Ecclesiæ Cathedralis, et si Suffragia sunt dicenda in Vesperis aut in Laudibus, omisso Suffragio Titularis Oratorii Seminarii, dicere debent Suffragium Titularis Ecclesiæ Cathedralis; ex. gr., Alumni Seminarii Mechliniensis, omisso in casu Suffragio S. Michaelis Archangeli, Titularis Oratorii Seminarii, dicere debent Suffragium S. Rumoldi, Titularis Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis; et hoc solum sufficit.

II. **Quo loco.** — Locus huic Suffragio Titularis assignatur ante vel post Commemorationes Sanctorum consuetas, pro dignitate illius, servato igitur ordine dignitatis (cfr. Q. 104, IV). Unde:

1. Si Titularis Ecclesiæ est SS. Trinitas, S. Spiritus, SS. Salvator sub variis invocationibus, SS. Sacramentum, SS. Cor, SS. Nomen Jesu, S. Crux, dicitur ejus Suffragium ante Commemorationem de S. Maria.

2. Si Titulares sunt SS. Angeli, ex. gr., S. Michael Archangelus, vel S. Joannes Baptista, dicitur Suffragium post Commemorationem de S. Maria, ante Commemorationem de S. Joseph.

3. Si Titularis est S. Apostolus, vel alius Sanctus, aut Sancta, item si Ecclesia dedicata est in honore Omnium Sanctorum, Suffragium dicitur post Commemorationem de SS. Apostolis Petro et Paulo.

III. Quo modo. — Commemoratio Titularis in Suffragiis fit per Antiphonam, Versum et Orationem, quæ in ipso Titularis Festo dicuntur; pro Suffragio in Laudibus dicuntur Antiphona et Versus ad *Benedictus*; pro Suffragio in Vesperis dicuntur Antiphona et Versus ad *Magnificat*, ex secundis Vesperis Officii.

Antiphona et Versus, si sint propria in Festo Titularis, dicuntur etiam pro Suffragio ut in hoc proprio (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Maji 1891, n. 3745, ad 3); si non sint propria, vel si non conveniant, sumuntur de Communi.

Oratio etiam dicitur ut in Festo; sed in ea fieri possunt, et debent verborum mutationes necessariæ ut habeatur congruitas et veritas: ita verba *hodierna dies, annua dies*, omittuntur; et verba *nativitas, natalitia, festum, festivitas, solemnitas*, non retinentur, sed iis substituitur verbum *commemoratio*.

Quando autem Orationis forma ita redacta est, vel ejusmodi est naturæ, ut nulla ratione possit haberi congruitas, tunc recurrendum est ad aliquam Orationem de Communi. (Ephemerides Liturgicæ, IV, 1890, pag. 650.)

NOTA. Ubi S. Joannes Baptista est Titularis, non incongrua est Oratio Festi Nativitatis ejus, 24 Junii, modo mutetur verbum *Nativitate* in *commemoratio*; in reliquis enim, etiamsi dicatur: *præsentem diem*, non enuntiantur ea quæ in Suffragio falsa forent. (Cfr. Gavantus, *Thesaurus Sacrorum Rituum* Sectio V, Cap. XVIII, n. 10.) Hæc confirmantur Decreto S. Rituum Congregationis, 14 Junii 1893, n. 3803.

Item in Oratione pro Suffragio S. Bartholomæi, Apostoli, congrue dici potest ut in Oratione ejus Festi, 24 Augusti: *qui venerandam, sanctamque lætitiã in Beati Bartholomæi commemoratione etc.*

Commemoratio Titularis est quasi quædam repetitio ejus Festi per annum; et ideo, ubi non est omnino necessarium, non est recurrendum ad Commune, multo minus ad Vigiliam Festi.

Pro mutationibus faciendis ratione identitatis cum

præcedenti Commemoratione ex eodem Communi in Officio facta, vide quæ dicta fuerunt Q. 205, et in Nota ad Q. 206.

Pro Suffragio S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, loco Versus *Ora pro nobis etc.*, qui dicitur in Laudibus ac Vesperis ejus Officii, 1 Julii, sed qui jam usu venit pro Commemoratione de S. Maria, designatur in Proprio Diocesis Mechlinien., approbato 20 Julii 1838, Versus specialis: *Corona aurea etc.*

Q. 231. Nota quædam specialia quæ usu venire possunt pro Suffragio Titularis.

R. 1. Si Titularis est S. Crux, dicitur hujus Suffragium quemadmodum pro Officio feriali præscribitur in Breviario ante Commemorationem de S. Maria, et non ut in Festo Inventionis, aut Exaltationis S. Crucis.

Omittitur in Officio feriali Suffragium Titularis: sufficit enim Suffragium de S. Cruce ratione Officii ferialis dictum. Omittitur etiam hoc Suffragium, juxta Rubricas generales (Tit. XXXV, n. 2), in Officio votivo de SS. Sacramento, et in Officio votivo de Passione Domini.

2. Si Titularis est S. Salvator, sumitur Suffragium ex Officio Festi Transfigurationis Domini, 6 Augusti. (Decret. S. Rituum Congregationis, 14 Martii 1895, n. 3845.)

Quando in feriali Officio dicitur Suffragium de Cruce, non ideo omittitur Commemoratio Titularis S. Salvatoris, sed dicitur hæc post Suffragium de Cruce; nam licet hæc Commemorationes sint circa idem objectum, haud tamen sub eadem ratione versantur. (Decret. 27 Junii 1899, n. 4043, ad IV.) Immo dicitur hæc Commemoratio S. Salvatoris in ipsa Dominica II Quadragesimæ, in cujus nempe Officio agitur de Domini Transfiguratione in Laudibus aliisque Horis. (Decret. citat.)

3. Si Ecclesia dedicata est SS. Sacramento, omittitur hujus Suffragium in Officiis votivis de SS. Sacramento, et de Passione Domini.

In Officio feriali omittitur Commemoratio de Cruce, et dicitur Suffragium de SS. Sacramento, in quo recollitur memoria Passionis Christi. (Decret. 30 Novembris 1895, n. 3875, ad 1.)

4. Si Ecclesia dicata est SS. Cordi Jesu, omittitur Titularis Suffragium in Officiis votivis de SS. Sacramento, et de Passione Domini. (Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 186.)

5. Si Ecclesia dicata est sub Titulo S. Infantia Jesu, in Laudibus pro Suffragio dicitur Antiphona ad *Benedictus* ex Officio de Nativitate Domini: *Gloria in excelsis etc.*, et in Vesperis Antiphona ad *Magnificat*, ex secundis Vesperis ejusdem Officii, omissis *Hodie*. (Decret. 18 Decembris 1896, n. 3943, ad 3.)

In Officio feriali non est omittenda, ratione hujus Tituli, Commemoratio de Cruce.

6. Si Titularis est Sancta Familia Jesu, Maria, Joseph, ejus Suffragium primum locum habebit supra cæteros Sanctos quorum Suffragium dicitur; præponitur tamen in Officio feriali Commemoratio de Cruce. S. Rituum Congregatio rescripsit quod omittuntur Suffragia de S. Maria, et de S. Joseph. (Decret. 13 Novembris 1896, n. 3929, ad 2.)

Disputatum fuit num Suffragium Titularis S. Familiæ sit dicendum in Officio votivo de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., quando ritu semiduplici persolvitur; aut in Officio votivo de S. Joseph, Sponso B. Mariæ V., ne bis de eodem fiat; sed ut certum jam habetur hoc Suffragium in casu esse dicendum. In Sacra Familia habetur subjectum complexum, et omittendo in his Officiis votivis Suffragium S. Familiæ, omittetur memoria subjecti principalis et dignioris Titularis, nempe Domini Jesu, quod incongruum videtur. Insuper etiam in casu dici potest quod Officium diei et Commemoratio S. Familiæ, etsi circa idem objectum, haud tamen sub eadem ratione versantur. (Decret. 27 Junii 1899, n. 4043, ad IV.) — Eadem ex ratione dici debet Suffragium SS. Apostolorum Petri et Pauli in Officio votivo de SS. Apostolis (cfr. infra n. 10), et dici potest Commemoratio S. Joseph in Officio Festi Desponsationis B. Mariæ V. cum S. Joseph (cfr. Q. 165, Nota II). (Cfr. Collationes Brugenses, V, 1900, pag. 207; et Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 309, 577, 641.)

7. Si Ecclesia dicata est B. Mariæ Virgini, sub quocumque Mysterio vel Titulo, etiam sub denominatione

Annuntiationis, vel Assumptionis, vel Immaculatae Conceptionis, vel hujusmodi quacumque alia, semper dicitur pro ejus Suffragio Commemoratio communis de S. Maria, quemadmodum inter Suffragia describitur, numquam vero ut in propria Festivitate Titulari, cujus Commemoratio omittitur.

Suffragium S. Mariæ omittitur in Officio votivo de Immaculata Conceptione, quando sub ritu semiduplici recitatur.

Addere juvat de hoc Suffragio, quod per annum dicitur Versus *Ora pro nobis etc.*, et Oratio *Concede etc.*; ab Octava Epiphaniæ vero usque ad Purificationem, 2 Februarii, dicitur Versus *Post partum etc.*, et Oratio *Deus, qui salutis etc.* Casu quo Officium Purificationis B. Mariæ V. transferatur, a 3 Februarii jam, si dicendum est Suffragium de S. Maria, resumitur Versus *Ora pro nobis etc.* et Oratio *Concede etc.*, etiamsi Officium Purificationis nondum fuerit dictum. (Decret. 14 Februarii 1705, n. 2148, antiq. 3710, ad 1.)

8. Si Titularis est S. Michael Archangelus, omittitur ejus Suffragium in Officio votivo de SS. Angelis, quod Feria II recitatur. (Decreta 13 Januarii 1899, n. 4006, ad 7; et 27 Junii 1899, n. 4043, ad II.) In Festo enim S. Archangeli Michaelis intendit Ecclesia celebrare memoriam Omnium SS. Angelorum; ideo enim dicitur in ejus Officiis octava Benedictio: *Quorum Festum etc.*

Non idem dicendum est de SS. Archangelis Gabriele et Raphael, quorum cultus est particularis seu personalis; si Titulares sunt, eorum Suffragium dicendum est in Officio votivo de SS. Angelis, nempe Antiphonis, Versibus et Orationibus diversis ab illis quæ in Officio votivo SS. Angelorum habentur (Decret. 13 Januarii 1899, n. 4006, ad 8). — Idem resolve, si Ecclesia dicata est SS. Angelis Custodibus.

9. Si Ecclesia dicata est S. Joseph, Sponso B. M. V., ejus Suffragium dicitur semper quemadmodum describitur inter Commemorationes communes. Omittitur in Officio votivo de S. Joseph, quod Feria IV recitatur.

10. Si Titulares sunt SS. Petrus et Paulus, solum dicitur Suffragium de SS. Apostolis Petro et Paulo,

410 (Q. 231) De Patroni loci et de Titulari Ecclesiæ quod describitur inter Commemorationes communes. (Decret. 16 Octobris 1743, n. 2374, antiq. 4149.) Idem dicendum si aut S. Petrus, aut S. Paulus, sub quocumque peculiari Titulo, aut quacumque ratione, est Titularis.

Hoc Suffragium de SS. Apostolis Petro et Paulo non omittitur in Officio votivo de SS. Apostolis, quod Feria III recitatur. (Decret. 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 7.)

11. Clerici qui quotannis ad exercitia spiritualia sub directione Patrum Societatis Jesu obeunda, in Seminarium Mechliniense conveniunt, ibique in Sacello Seminarii Officium divinum modo quasi choraliter insimul persolvunt, quando dicenda sunt in Officio Suffragia, omisso Suffragio Titularis Ecclesiæ propriæ cui adscripti sunt, vel Patroni loci quem inhabitant, omnes dicunt pro Suffragio Titularis Suffragium in Seminario communiter dictum; juxta Indultum 7 Julii 1864. (Cfr. dicta Q. 99, sub 8°.)

PARS QUARTA

CÆREMONIÆ SERVANDÆ CUM OFFICIUM DIVINUM SOLEMNITER CANTATUR

Cum præter Officium Vesperarum, diebus Dominicis et Festis, et Officium Defunctorum, diebus solemnioribus Defunctorum, nullæ aut fere nullæ Officii divini partes in Ecclesiis parochialibus cum cantu peragantur, sufficet horum duorum Officiorum cæremonias describere.

ARTICULUS I

De Vesperis

232. 1. Ordinarie in Ecclesiis parochialibus ad Vesperas Celebrans Officio fungitur, assistentibus solum duobus Acolythis et Thuriferario.

2. Altare ornatum erit sex candelabris cum cereis, et Cruce; a latere Epistolæ in plano parabitur scamnum pro Celebrante, coopertum tapete, et ante scamnum legile majus cum Breviario vel Vespérali, tectum panno serico coloris Officii.

3. Color paramentorum tam Altaris quam Celebrantis erit Officii cujus dicuntur Vesperæ integræ; si autem Vesperæ dicantur a Capitulo de sequenti, ab initio Vesperarum adhibebitur color qui congruit Officio cujus dicitur Capitulum.

4. In Sacratio ministri induent superpelliceum, Celebrans parabitur super superpelliceum pluviali.

5. Rituum Congregatio pluribus Decretis interdixit cuicumque usum stolæ in Vesperis solemnibus. Si tamen ante Vesperas exponitur SS. Sacramentum, et immediate post eas Benedictio cum SS. Sacramento datur, Celebrans induere poterit stolam ab initio Vesperarum. (Decret. 19 Septembris 1883, n. 3593, antiq. 5892, ad 2.)

6. Celebrans paratus, facta inclinatione Imagini sacristiæ, cooperto capite procedit ad Altare, præcedentibus Acolythis cum candelabris et cereis accensis. Ad